

## IN FESTO SANCTI MARTINI.

EVANGELIUM. Luc. XI.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis: Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio; sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est tenebrae sint. Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit.

## CONCIONES.

- I. Multiplex bona intentio in actionibus habenda.  
II. Multiplex oculus bene examinandus.  
III. Oculus intellectus seu rationis unde potissimum obscuretur.  
IV. Quinam illi, qui lucernam sub modio ponunt.  
V. Quas ob causas sanctorum festa celebremus.  
VI. Qualis lucernam Sanctus Martinus, qualis item Martinus Lutherus.

- VII. Anser boni Christiani typus.  
VIII. Anseres ne simus.

## CONCIONES AUCTARII.

- I. Anser boni servi Dei typus: Martinus exemplar.  
II. Ab ansere et Martino multi instruuntur.  
III. Anseres aliquot assati vitandi.  
IV. S. Martinus quo jure martyr appellari queat.  
V. Cœlum qui aspiciendum.

## CONCIO I.

### MULTIPLEX BONA INTENTIO IN ACTIONIBUS HABENDA.

- I. Causa honesti. — II. Oh gehennæ metum. — III. Ob mercedem æternam. — IV. Ob amorem Dei. — V. Ad imitationem Christi. — VI. Intentio nulla.

### THEMA.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Luc. XI.

In more fuit apud Lacedæmonios, ut parentes filiis adolescentibus panem aut escam aliam non præberent, nisi quam sagitta ex edito loco dejeccissent. Textor, in præfat, offlcnæ. Simili modo cum hominibus agit Deus: cœlestem enim gloriam nemini adulto concedit, nisi eam quisque sagittis bonorum operum quasi dejecerit et meruerit: quod vel ex illa Christi responsione, quam filii Zebedæi dedit, colligi potest: Sedere, inquit, ad dextram vel sinistram meam non est

meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo, Matth. XX. Unde calicem passionis eis prius propinat. Itaque jaculari debemus pro cœlesti illo pane et sagittas bonorum operum in illum extorquere. Porro qui jaculari vult, uno tantum oculo sagittam ad scopum dirigit ut bene jaculetur; similiter agendum est in bonis operibus. Oculus enim intentionis simplex et rectus adhibendus est et tunc demum cum fructu jaculabimur præmiumque reportabimus: alioquin omnes actiones frustræ et inutiles erunt. Et hoc est quod in hodierno evangelio Dominus dixit: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Quorsum igitur collundum sit nunc disquiremus.

Jaculatorum scopus solet esse orbis quidam albus, in cuius medio orbiculus est niger. Et hunc aliqui tangunt in extremitate, alii in albo, alii in nigro, alii denique ipsum medium seu clavum tangunt, et omnes superant, alii omnino errant. Sic enim bene operando, prout varia est

## IN FESTO SANCTI MARTINI.

609

intentio, varia est jaculatio, et varium etiam præmium. Prima extremitatem tangit, secunda et tertia album, quarta nigrum, quinta clavum ipsum medium.

I. Intentio est, cum operamur honesti et virtutis causa. Sic Aristoteles, lib. IV. eth. cap. II. ait: *Virtutibus commune est aliiquid facere libenter et honesti causa.* Nobilis et ingenuus est hic finis, hominique proprius et conveniens etsi naturalis tantum. Idem enim honestum ac honore dignum, id est, summo præmio quod ab hominibus exhiberi potest: hujusmodi autem post Deum cum sit sola virtus virtutisque operatio utpote profecta a recta ratione hominis propria nobilissimaque regula rerum agendarum, ideo honestum et virtus virtutisque operatio non differunt. Inde soli illi veri homines censendi sunt, qui honestum sectantur et honesti causa operantur, nam jucundum et utile bruta et qui cum ipsis non quæ sunt sursum sapiunt, sed quæ super terram, consequantur. Hunc finem sibi proposuere gentiles illi, qui secundum rationem laudabiliter vixere et propterea adhuc commendantur. Uti Athenienses, quibus cum Themistocles consilium turpe et iniquum præberet, licet illis utilissimum, de incendenda hostium classe; abhorrentes a facinore honestati contrario, vetuere ne in posterum de hac re verba faceret Themistocles, Plutarchus, in vita Aristidis. Et merito, nihil enim pulchrius et post Deum nobilius virtute seu honestate, nihilque quod hominem magis deceat et ornet. Sic Romani suas exercabant virtutes in tutela patriæ, justitia administratione, servatione civium, etc. quibus propterea Deus excellentissimi imperii gloriam concessit, teste August lib. V. de civ. cap. XV. Sed Christiani ut mercede etiam æternam mereantur, ulterius tendere debent, operari videlicet ob amorem virtutis et honestatis, propterea quod ea divina voluntati sit conformis et placens. Addendæ proinde huic primæ intentioni aliæ nobiliores, ad eum modum, quo pictores rudibus lineamentis vivos colores alios et alios semper nobiliores adjiciunt. Ab hoc tamen fine et scopo, primo aberrant, qui bonum faciunt propter finem dishonestum et malum, sive sit peccatum mortale, ut cum dives egenti feminæ dat eleemosynam, ut eam ad stuprum pelliceat, sive veniale tantum. Qui adeo nihil proficiunt nullumque inde meritum acquirent, ut etiam rei fiant, perinde enim agunt, ac si ingenuum hominem servo subjiciant: vel aureum vas adhíherent ad cloacam exhaustiendam: vel sacris templi vasis abuterentur ad commissationes et ebrietates, sacris vestibus ad choreas vel bacchanalia. Item qui ad utile tantum et

jucundum attendunt, quod etiam bestiis commune est, quæ honesti capaces non sunt. Inde, qui ad honestum et virtutem non attendunt, pro nihilo ducunt fallere, mentiri, pejerare, injurias facere, etc. Tales enim Diogenes pro hominibus non agnoscebant et merito: talis Darius Hysaspis, qui dicebat: *Ubi expedit mendacium dicere, dicatur: imper.* Caligula, qui dicebat sibi in omnes omnia licere: ic denique, qui Ludovico Galliarum regi pulicem simulavit se tollere a veste, quia viderat alium ob sublatum a rege pediculum, magnopere remuneratum; meruit autem tot plagas, quot prior aureos, quia prior amore honesti hid egit, ic vero amore retributionis, apud Maiol. tom. II. canic. coll. V.

II. Intentio. Cum bene operamur et peccata vi-  
tam ob gehennæ metum: qui finis supernatu-  
ralis est et melior primo. Sic ait S. Hieronym. ad Eustochium, quod ob gehennæ metum seipsum condemnaret ad horrendum deferri carcerem. Et merito attenditur hic finis; quem enim non a malo absterreat et ad bonum compellat æternæ damnationis comminatio? Sane hoc medium nobis Scriptura tamquam efficacissimum crebrius proposuit, quam alia: experientia enim docet, magis nos moveri pœnis, quam præmiis; igno-  
minia quam honore; injuria quam beneficio; plus de infirmitate dolere, quam de sanitate gaudere; unde bona ex malorum experientia melius cognoscimus: nemo enim melius novit quantum bonum sit sanitas, quam is, qui ægrotavit. Quid autem acerbius vel tristius excogitari potest, quam ignis infernalis? Hac consideratione excitat se ad virtutem abbas Alexander apud Joannem Moschum, in prato spirituali, cap. LXIX. *Væ tibi Alexander, aiebat, quanta erit confusio tua, cum cæteri coronabuntur.* Idem fratri alteri de acedia tentato dicebat: *Si in cella tua sollicito cogitares regnum cœlorum et cruciatum æternum, in cella tua accediam non sentires, ibidem, cap. CXLII.* Ab hoc scopo aberrant, qui temporales tantum pœnas metunt, et idcirco agunt, quæ jubentur et debent, ne confundantur vel puniantur. Miseri profecto timent hominem, non timent Deum: timent pruinam, non timent ni-  
vem: timent perdere corpus, non timent perdere animam, contra id Salvatoris: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, etc.*

III. Intentio. Cum bene agimus ob mercede  
æternam, qui finis melior est precedenti. Sic dicebat David Psalm. CXVIII. *Inclinavi cor meum ad facientes justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et merito hic enim finis a Christianis attenditur, si enim ob temporale lucrum

## VI. PARS FESTIVALIS.

33

per mare, per terras currit mercator ad Iudos : si ob unam Rachelem quatuordecim annis servivit pastorali munere Jacob, quid non faciendum pro aeterna beatitudine ? Hujus contemplatione et propositione animabat ad laborandum et perseverandum in proposito, fratres suos S. Antonius ; quia scilicet pro paucis annis servitii nostri aeterna nobis regna tribuerent : et S. Franciscus, interrogatus quomodo tam tenui ueste biemale frigus ferret, respondit : *Si superna patrix flamma per desiderium contigeremur, facile nos ab hac frigore tueremur.* Ab hoc aberrant, qui ob commodum et mercedem temporalem tantum agunt bene. Et hi abjecti nimis animi sunt, sordidi et injusti, ut qui res nobiliores dirigunt seu referunt ad longe ignobiliores. et Deo per ejusmodi actiones non serviunt propter se, sed propter haec commoda, abjecturi illum et repudiantur, si ab illis conferendis abstineret sicut scriptum est, Psalm. XLVIII. « Confitebitur tibi cum beneficeris ei. Ac si diceret. Non confitebitur cum desieris benefacere. Isti apponunt condicionem Christo, ut si sint Christiani (ita loquitur S. Augustinus, in Psalm. CXXIX.) habent plenam domum frumento, vino, oleo, auro et argento. Nullus eorum moriatur immaturus ; si quis non habeat filios, accipiat ; si uxorem non duxit, ducat ; non abortiat non solum aliqua mulier in domo ejus, sed nec pecus ; non arescant campi ejus, non grandinetur vinea ejus ; quae cum impetrare se non vident a spe cadunt. Isti ait Christus : Amen dico vobis, repererunt mercedem suam. »

IV. Cum bene operamur propter Deum seu propter amorem Dei ; et hic optimus ac nobilissimus scopus est, ad quem homines christiani merito in omnibus suis actionibus collimare debent : non in prioribus illis sistere, tametsi et ipsi boni sint. Nam imprimis, cum Deus sit summum bonum nostrum, et finis ultimus omnium rerum, postulat iure suo, ut ad ipsum nostra omnia referamus. Deinde, cum ipse bonorum operum nostrorum causa sit præcipua, ipsi consentiamus oportet ; ipse autem semet : *Propter ipsum operatur universa*, ut ait Salomon, Prov. XVI. Denique, quid mirum si exigat a nobis, ut ipsius amore tantum ducamur in operibus nostris, cum ipse amore nostri ductus nullo apposito pretio aut mercedis pactione pro nobis tanta fecerit ? Non ergo sistendum Christiano in sola virtutis honestate, quia hic finis naturalis est, et multis gentilibus propositus : non in metu gehennæ, quia perfecta charitas foras mittit timorem : nec in spe premii aeterni, quia : *Charitas mercenaria non est et sine mercede maxima*

*non est*, ut ait S. Bernard. lib. XV. Et hinc calumniari voluit dæmon bona opera S. Job quasi perfectione intentionis carerent : *Numquid Job frustra timet Deum ?* Docet igitur, ut nulla etiam proposita mercede caveamus malum et agamus bonum, sed præcipue propter Deum. Et hoc est quod Isaiae XXVI. dicitur : *A facie tua Domine concepimus et parturivimus spiritum salutis.* Deo igitur debetur partus honorum operum ut Patri, id est, causæ præcipue, qui instar ludimagistri manum nobis ducit. Unde viginti quatuor seniorum mittunt coronas suas ante Deum et dicunt : *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia et propter voluntatem tuam erant*, Apoc. IV.

Possimus vero varie propter Deum operari. Primo, ut Deus per opera nostra glorificetur, Juxta id : *Luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestram, qui in cœlis est*, Matth. V. Ita faciebat insignis quidam Dei servus, qui cum suggesteret ei tentatio frustra eum laborare in corporis afflictione, neque enim eum per illam ex præscito prædestinatum fieri posse, dæmoni respondit : *Bene est, sed scito me non servire Deo ob cœlestem gloriam, verum : Ob id, quia dignus est*, Rodriq. in exerc. perfect. p. I. tract. IV. cap. XIII.

Secundo, ut Deo placeamus per ejusmodi opera, quæ Deo placere scimus : sive illi gratum aliquod sacrificium offeramus, quemadmodum Rebecca parabat marito escas, quibus libenter vescebatur, Gen. XXVII.

Tertio, ut voluntati divinæ nos conformemus, illuc subjiciamus, a qua talia opera imperantur. Pictor alteri imaginem picturus, ejus designationi se accommodat, sic Dei voluntas et imperium semper præ oculis habendum. Porro hue omnes Christiani deberent collimare in actionibus suis etiam indifferentibus et mediis, quales sunt fabricare, fodere, arare, etc. quia hac intentione faciunt omnes operationes suas sanctas et meritorias. Quis negligeret si cuprum per aquæ immersionem, reddere aurum posset ? Hæc est illa mira et sancta alchimia, quæ ex ferro, cupro, imo lato splendifidissimum aurum conficit. Idque nullo propemodum labore, imo cum magna dulcedine et facilitate.

Contra agunt. Primo, qui mala agunt propter Deum, ut qui furantur propter Deum ut vel habent unde alienæ inopie medeantur, abutentes verbis illis apostolicis : *Sive aliquid atud facilis, omnia in gloriam Dei facite*, I. Cor. X. curta men de bonis tantum operibus deque indifferentibus loquatur apostolus : quanta enim hæc foret de-

mentia, pravum aliquid Dei causa agere ? Neque ad honorem Dei talia cedunt, sed ad contemptum : inde illa Moysis exclamatio : *Abominationes Egyptiorum (id est, pecora,) immolabimus Deo nostro ?* Exod. VIII. et vox apostoli ad Rom. III. *Non sunt facienda mala ut veniant bona.*

Secundo, qui ad gloriam suam referunt opera sua. Hi cum velut iniqui dispensatores honorum Dei sibi attribuunt, quæ Deo debentur; videntur esse tales, qui omnibus munusculis vel fabricis sacris apponunt sua nomina et insignia. Non ita Constantinus Magnus, qui licet ecclesiæ plurimas et magnificentissimas extruxisset et ingentibus donariis locupletasset, nullibi tamen nomen aut insignia sua appinxit, ut patet ex Baronio, anno 324. et 337. Destruunt isti coqui fumo propriæ gloriae, nobilissimos alioquin cibos, opera enim bona sunt cibus Dei, Joan. IV. Poma, si ab arbore in terram cadant, vitiantur et cito putreescunt : at si manu decerpantur et loco editiore ponantur, multo tempore sane conservantur : sic etiam bona opera si in terram inanis gloriae cadant, fodantur, si vero ad Dei gloriam fiant, ad vitam aeternam servantur. Unde sponsa, Cant. VII. *Omnia poma, inquit, nova et vetera dilecte mi, servavi tibi*, quasi diceret : Nihil mihi inde usurpavi mihi attribuendo ; sed omnia tibi offero et in te refero.

V. Cum operamur ad imitationem Christi eumque velut exemplar nobis in agendo proponimus ; quemadmodum Deus Moysi ostendit exemplar tabernaculi in monte Sinai, dicens : *Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Christus hoc exemplar est speculum omnis perfectionis. Si hunc imitemur, et in nostris actionibus exprimere conemur, tunc optimam habemus intentionem. Cum ergo oras, cum jejunas, cum das eleemosynam, cum egenos et infirmos visitas, cogila quo zelo, qua charitate et alacritate id ageret vel egerit Christus. Ideo Dominus dixit : *Exemplum dedi vobis, sicut ego feci et vos faciatis*, Joan. XIII. et Luc. VI. *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus.*

VI. Porro ab his omnibus aberrant scopis, qui velut cœci aut clausis oculis jaculantur frustra et in vanum ; qui cum facile possent hanc intentionem habere, et omnia opera pretiosissima facere, id tamen non faciunt, sed quidquid occurrit, temere agunt, nihil ex providentia seu animi designatione, atque ita prorsus nihil spiritualis lucifaciunt. De his ait Aggæus, cap. I. « Qui mercedes congregavit, misit eas in saeculum pertusum. Hæc dicit Dominus exercituum : Ponite corda vestra super vias vestras, » quasi diceret : Ante-

quam viam ineatis, cogitate quamobrem et quo fructu vestro ineatis.

Optimus jaculator fuit S. Martinus, qui semper apertis oculis intendit ad scopum, siquidem : *Oculis ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat.* Et cum moriens supinus semper oraret, monereturque a discipulis ut converso corpore aliquamdiu pronus conquiesceret, renuit dicens : *Sinite me cœlum potius quam terram aspicere, ut suo jam itinere iterum ad Dominum spiritus dirigatur.* Huc itaque si collimes, et scopum attinges, et plurima bona lucraberis. Disces enim imprimis, hominem agere et lumini rationis operationes tuas conformare : secundo, plurima vita evitabis quæ admitteres, vanitatemque ab operibus tuis repelles : tertio, liberaberis ab obligatione reddendi rationem pro inanibus et otiosis cogitationibus, verbis, operibus : quarto, plurima lucra spiritualia tibi parabis in celo et thesaurum immensum : quinto, alias ædificabis, si viderint te omnia agere non ad ostentationem, sed propter Deum et simpliciter ambulare : denique, panem illum cœlestem, qui omnes sapores refert et omnem appetitum satiat dejicies et lucraberis.

## CONCIO II.

### MULTIPLEX OCULUS BENE EXAMINANDUS

- I. Ratio. — II. Scientia. — III. Fides. — IV. Intentio particularis. — V. Intentio universalis
- VI. Consiliaris magister. — VII. Oculus corporeus.

### THEMA.

*Vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Luc. XI.*

Rectissime quidem a Christo comparatur oculus corporalis oculo spiritualis rationis, scilicet fidei, scientiæ, etc. multas ob rationes : sed est tamen inter utrumque oculum alia ex parte non parva differentia. Nam quod attinet ad oculum corporis nemo est mortalium, qui optet sibi cœcum, omnes amant videntem : ad oculum spirituale multi volunt cœcum, dum medicamenta respiunt, quibus visum recuperent. Deinde, qui corporaliter cœcus est, communiter novit se esse cœcum ; qui vero lumine mentis privati sunt, multoties non agnoscent suam cœcitatem. Miram ejusmodi cœcitatem de Harpastes uxoris sue fatua narrat Seneca, ep. L. « Hæc fatua, inquit, subito desit videre. Incredibilem tibi narro rem, sed veram, nescit se esse cœcam ; subinde pædago-

gum suum rogat, ut migret, ait domum tenebrsam esse. Hoc quod in illa videmus, omnibus nobis accidere, liqueat. Nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum. Cæci tamen ducem querunt; nos sine duce erramus, etc.» Sic ille. Quare non id ipsum nobis eveniat, oculos nostros spirituales bene examinemus, ne de nobis dicatur, quod de gentibus apostolus ad Rom. I. ait. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt.*

I. Oculus mentis, id est, ratio clara non perturbata esse debet, nisi veluti cæci ubique velimus impingere. Quod oculus corporalis est membris, quod auriga equis, quod consul reipublicæ, hoc est ratio actionibus humanis. Si ergo lumen, id est, ræ, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Id est, ipsæ actiones, quantis erroribus laborabunt? Si oculus est cæcus, si auriga, si consul, quid fiet membris, equis, subditis qui lumen ab illis mutuari debent? Quid rationabile, quid laudabile, imo quid non vituperabile, et abominabile expectes ab homine ebrio? Similiter ab oculo infenso et invido? Quid non hostile et dolosum? Ab iraundo quid non sevum et iniquum? Nonne inferas satius est, quam inter tales degere? Nonne ipsi postquam ablata perturbatione ad mentem redierint, dolore et penitentia occupantur, omniaque sua acta deflent et execrantur? Nonne ipsosmet pudet? *Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Quando perspiciliis vis uti ad videndum aliquid, prius eas tergis, ne visum accuratiorem impedianc aut decipient: cur non idem facis, cum quid difficile adoriris? Cur non purgas prius oculum mentis ab omni perturbatione, ira, invidia, ignorantia, ebrietate, etc? Alioquin reuerteris præcipitantiæ et inconsiderationis, unde ad extremum rubore et penitentia licet inutili et sera tangeris, cum vexatio dabit intellectum.

Secundo, debet eligere ac sequi bonum honestum. Peccans sequitur sensualem appetitum et cum brutis egit, quæ carni et sensui placent, non qua hominem decent, et honore digna sunt, virtutem scilicet. Unde graviter errat, qui pro nihilo reputat mendacia, detractiones, injurias, etc. imo pro bonis ea habet et de iis gloriat. Cum contra vir oculum purum habens, qui honestatem et virtutem sibi sequendam proponit, hæc omnia execratur, et indecentissima reputat uti promissis non stare, mentiri, ira corripi, fallere, etc. Si ergo hic rationis oculus simplex fuerit et honestatem sequatur, omnia ejus opera laudabilia et præclara erunt.

II. Scientia, quæ rationis quasi perspicilium est ejusque acumen, interim tamen suis sæpe non caret tenebris perniciose ignorantiae. Primo

enim, aliqui scientiam se eorum, quæ ad salutem necessaria sunt, habere existimant, cum tamen magnis laborent ignorantiae tenebris, juxta id Prov. XII. *Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.* Hinc nullas fere audiunt conciones, nihil unquam cupiunt divinarum rerum discere. Sed advertere isti debent, quod medici, quantumvis boni, sibi ipsis non soleant mederi communiter: quemadmodum et David, licet magni luminis propheta, errores suos non correxit, nisi postquam Nathan propheta eorum gravitatem illi explicavit, II. Reg. XII. *Vide ergo ne lumen tuum tenebræ sint:* et ideo recte monet Sapiens, Prov. III. *Ne innitaris prudentia tua: et Ne sis sapiens apud temetipsum.* Nimurum uti oculus seipsum non videt sed alios tantum, sic proprios defectus raro et difficulter cernimus, facile autem alienos.

Secundo, alii habent scientiam, sed ad sæcularia tantum, non ad divina; ad vitia perpetrandas, ad lucra et divitias comparandas, ad causas suas tuendas sunt astutissimi, ad virtutes vero comparandas, ad vitia extirpanda, ad conscientiam suam cognoscendam sunt rudes et cæci, juxta id Jer. IV. *Filihi insipientes sunt, et recordes: sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere neesciunt.* Et hos sciolas non obscure Dominus vocat: *Filios tenebrarum, cum ait ego prudentiores esse filii lucis,* Luc. XVI. D. Basilius, hom. VIII. hexam. confert hujusmodi homines cum noctuis, quæ in tenebris acie oculorum pollent, in luce cæciunt: « Quemadmodum enim noctuæ, inquit, aspectus noctu quidem valet, sole autem ilucescente, non mediocriter offuscatur et hebetur; sic sæcularium hominum et hujusmodi sapientum mens acutissima quidem ad vanas res perspiciendas esse videtur, hebetissima vero caligineque referta ad ipsam lucem veram perspiciendam evasit. » Tenebrosum hoc lumen a diabolo magistro habent, figurato in Ammonite Naas qui civibus Jabel Galaad dicebat: *In hoc feriam vobiscum fædus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros,* I. Reg. XI. Sic diabolus quos in fædere suo habet, terrena, noxia et vana acute sinit cernere, quasi sinistro oculo: divina vero, quæ dextri sunt oculi et ad salutem spectant, ad cognoscendam et purgandam conscientiam, virtutes parandas, viam cœli agnoscere non sinit; sed: *Vide ne hoc lumen tuum tenebræ potius sint;* sicut et lumen noctuæ.

III. Fides, quæ est oculus animæ supernaturalis, et dirigit gressus nostros, ne a salute aberremus. « Sicut lucerna, inquit Chromatius, in cap. V. Matth. incedentium in nocte gressus illuminat, ne aut in foveas aut in offendicula quæque

ambulantes incurvant: ita in hac sæculi nocte splendor fidei omnes vitæ nostræ gressus præente lumine veritatis illuminat, ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli incidamus. » Jam vero, primo putant aliqui se hoc lumine præditos, cum minime sint, uti omnes hæretici; et idcirco toto itinere continuo aberrant a cœlo. Nobis quidem catholicis nihil hic difficultandum, quia antiquam tenemus semitam, quam omnes patres nostri christiani tenuerunt: *In antiquis autem est sapientia,* ait Job, cap. XII. et in multo tempore prudentia. Sic vinum vetus melius est, quia magis defæcatum ac digestum. Unde ad solatium et securitatem nostram, ait Dominus, Luc. V. *Nemo bibens vetus (vinum scilicet) statim vult novum; dicit enim vetus melius est.* Nos, jam a prima fidei prædicatione, vetus vinum bibimus, ideoque mustum hæreticorum feculentum nolumus. Viderint illi, ne lumen quod in ipsis est, tenebræ sint. Suspecta semper est novitas antiquitati contraria; unde et merito examinanda priusquam acceptetur. Cum a via regia et trita devias ad novam et parum tritam, statim sistis et incipis habere suspectam et interrogas. Via catholica regia est tritissima: hæreses via novæ sunt non tritæ; ergo interroga et tu: *Hæc dicit Dominus, ait Jeremias, cap. VI. State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.* Alioqui si hic oculus tenebrosus sit, totum corpus tenebrosum erit, id est, tota vita et omnes quantumvis bonæ actiones frustraneæ. Vide ergo, etc.

Secundo, putant aliqui sufficere si qualitercumque credant et sentiant cum catholicis, interim tamen fidem incompletam, vel mere habitualem (qualis in infantibus) vel mortuam et bonis operibus destitutam habent. Qui tamen hac sua fide a salute aberrabunt, ut in festo S. Thomæ diximus.

IV. Intentio particularis in hoc vel illo opere faciendo: hæc enim vocatur hoc loco lumen et oculus a Domino, et merito, quia sicut oculus dirigit ambulantem, sic intentio opus: et quemadmodum si oculus clare videat, totum corpus sine offensione ambulabit: sic si intentio bona sit, modo opus ipsum non sit ex se malum, totum opus bonum erit: contra vero, si intentio mala sit, opus etiam quantumvis in se alias bonum, malum erit. Ex primo capite opera etiam media, ut agricultura, mercatura, famulatus, gubernatio, comedio, etc. si bonum habeant finem, bona fiunt: ex secundo, opera etiam optima, uti consilia evangelica, mala fiunt, siquidem intentio mala est. De Mida fabulantur poetæ (Maximus Tyrius) quidquid attingebat, versum esse in aurum. Id quod verissimum est de intentione, quæ si bona est, omnia opera licet indifferentia, facere aurea potest; non tamen ea, quæ ex se mala sunt. Quæ felicem reputaret se mercator, si solo attactu suo posset omnes merces suas convertere in gemmas? At hoc potest intentio. Unde quod de pecunia dicitur: *Et genus et formam regina pecunia donat,* multo verius de intentione dicitur: *Et genus et formam regina intentio donat.* Uno verbo rex facere aliquem ex plebeis nobilem, baronem aut comitem potest: una etiam intentio bona facere ex opere nullius pretii, pretiosissimum potest. Contra etiam ad malum et quidem potentior intentio, quia etiam bona opera inficit, cum mala cohonestare nequeat. Quoniam igitur tantum valet intentio, merito ad eam sedulo aspiciendum est, et omni modo curandum, ut omnia nostra opera bono fine operemur, præsertim cum res facilissima sit: *Vide ergo, ne lumen, etc.*

V. Intentio universalis, respectu totius vitæ, quæ respicit ultimum finem, quem sibi quisque designat. Ut enim, si scopum sibi aliquem præfixit, eo totum suum obtutum flectit, et omnes sagittas jacit; ita ad scopum vitæ quem sibi constituit homo; saltem plerasque dirigit actiones suas. Sic conjugatus cogitat quomodo placeat conjugi, virgo quomodo Deo, mercator omnes suas cogitationes dirigit ad mercaturam et lucrum, opifex ad opificium suum, etc. Et de hac intentione putat auctor imperfecti locutum esse Dominum Matthæi c. VI. cum immediate prædictit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Vult enim dicere Dominus: Sicut is qui cor, amorem et desiderium suum habet in thesauro suo, illic habet et cor, id est, omnes cogitationes et operationes suas eodem dirigit; ita oculos, cum sibi scopum aliquem præfixit ultimum, illic omnes gressus suos dirigit ad eum assequendum. Quare, qui non alium sibi proposuit finem, quam mundo inserviendi, divitiis, honoribus et voluptatibus fruendi; quisquis ejusmodi depravatum oculum habet, profecto ipse homo malus et pene tota ejus vita mala sit necesse est. Si quis apud se constituit Deo inservire, regnum cœlorum et justitiam ejus querere, ad hunc finem potissimum vitæ partem saltem, si non totam ordinabit. Qui enim finem sibi efficaciter proponit assequendum, media quererit et adhibet, ut ad eum pertingat. Vide ergo quorsum omnes tuos labores curas, industrias et cogitationes dirigas: num ut mundo placeas? An vero ut Deo? Sanctus Martinus oculis ac manibus in cœlum semper intentus erat: quia nimurum Deum sibi scopum præfixe-

rat, ad eum omnia sua dirigebat: uno oculo eoque dextro ad scopum collimandum est, qui est, ut Deo placeamus in omnibus nostri, actionibus. Sic Cantic. IV. dicit sponsus: *Vulnerasti cor meum sponsa in uno oculorum tuorum.*

VI. *Oculus politicus*, scilicet, consiliarius, suaser, instructor, etc. de hoc enim ait Job, cap. XXIX. *Oculus fui cæco*. Talem vero oculum examinandum monet Ecclesiast. cap. VI. dicens: *Consiliarius sit tibi unus de mille*: et cap. XXXVII. *A consiliario serva animam tuam, prius scito, quæ sit illius necessitas, ne forte mittat sudem in terram et dicat tibi: bona est via tua, et stet e contrario videre, quid tibi eveniat, quasi diceret: Examina illum prius, ne forte ponat tibi offendiculum in via, etc.* Refert Sanctus Hieronymus et post eum Lyranus, et alii ex Hebreis, Cainum a Lamech in silva sagitte jacitu occisum esse, eo quod Lamech ob senium cæctiens a puero ductore, quod Cainum latenter in silva pro fera aspexerat, deceptus sit et pro fera Cainum confixerit jaculo, ac propterea puer quoque a Lamech occisum esse, ideoque ab eo dictum: *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentulum in livorem meum*, Genes. IV. Quæ historia si vera est, apposite ostendit quantum a consiliario malo et insidente cavendum sit. Si enim is pueris sensibus sit, id est, insipient, aut qui sensibus, propria utilitate, etc. ducatur, qui tibi hominem pro fera monstrat, id est, suadeat illicita tamquam licita, in errore et miserias penitendas te adducet: unde Ecclesiastic. X. dicitur: *Via terræ cuius rex puer est.*

VII. *Oculus corporeus*. Est enim et ipse sæpe nequam et immanis pirata, qui in hoc mundi mari undique circumnavigat, et tandem propriam eujusque animam spoliat ac prædat. Sic enim Thren. III. dicitur: *Oculus meus deprædatus est animam meam*. Nequam est, cum rapere desiderat res sæculi, quas intuetur; sicut oculus milvi, qui semper aspicit terram ut rapiat pullos aut mures, et corvi, qui ubique cadaver querunt. Bonus, et simplex est, cum nulli nocere, nec aliena desiderat sicut oculus columbae, juxta Cant. I. *Pulchra es amica mea, oculi tui columbarum*: et Isaiae LX. *Qui sunt quasi columbae ad fenestras suas, qui justi per sensus corporis*, inquit Sanctus Gregor. lib. XXI. moral. cap. II. *exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis eosque foras non rapit concupiscentia carnalis*. Vide igitur qualis tu oculum habeas, corvine an columbae: et memineris columbam ad arcum Noe rediisse, non corvum insistentem scilicet cadaveribus; sic etiam oculum malum terrenis inhærente, ad coelestia non tendere. Proinde si oculus tuus nequam

fuerit erue eum et projice abs te, quia totum hominem inficit, et a celo excludit.

*Vide ergo ne lumen quod in te est tenebrae sint.* Oculus tenebrarum amans, ut noctua, non potest intueri solem, sic nec oculus tenebrosus et impurus faciem Dei. Purga hic oculos tuos et absterge tenebras ejus: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

## OCULUS INTELLECTUS SEU RATIONIS UNDE POTISSIMUM OBSCURETUR.

- I. A superbia. — II. Ab avaritia. — III. A luxuria. — IV. Ab invidia. — V. Ab ira. — VI. Ab ebrietate. — VII. Ab ignorantia et tædio.

## THEMA.

*Vide ergo ne lumen, quod in te est, tenebrae sint.* Luc. XI.

Quemadmodum oculus corporalis præstantissima pars est corporis, ita et oculus animi, qui est ratio seu intellectus, præstantissima pars est animæ. Uterque enim speculatoris et excubitoris munus agit, et omnes actiones dirigit; ac siquidem vigilaverit, eas omnes rectas et laudabiles facit; si vero obdormiat aut cæcutiat, nihil recti facit. Imo quod est sol mundo, hoc oculus est corpori, hoc ratio est animo. De die omnia ordinata et decore flunt, de nocte omnia confuse et turbata: ad lucem optime scribimus, in tenebris vero pessime. De die caute ambulamus, noctu vero periculose et cum trepidatione. Unde bene Dominus: *Si oculustus simplex fuerit, totum tuum corpus lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum (omnes actiones tue) tenebrosum erit.* Ideo natura oculum corporalem sollicite custodivit, muniendo eum palpebris quasi domo, gena et fronte elevatiore quasi vallo: ciliis quasi repagulis et ponticulis pensilibus, qui de nocte elevantur et portis oppanduntur superciliis quasi excubiis: ad hæc cum periculum oculis imminent, naturali instinctu manus objicitur, oculos avertimus et claudimus, ac quasi militibus defendimus. Unde Isidorus, lib. XI. etymol. cap. I. oculum ab oculendo dictum ait, quod natura tanto eum studio occulerit. Quid si tantam naturæ solertiam cernimus in oculo corporeo, oportet ut non minorem, sed majorem longe adhibeamus custodiā rationi, in qua tanto plus est situm, quanto spiritus corpore præstantior est. Hoc enim eruto vel cæcato, nihil recti ages et instar Samonis excæcati facile abduceris a Philistheis. id

est, demonibus ad vitiorum servitatem. Hinc illi imprimis admittuntur ut oculos nostros turbent et veluti anguillas in aqua turbida capiant. Unde Apocal. IX. scribit Sanctus Joannes, quod in spiritu vidit: *Ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol.* Ita nimis diabolus sole intelligentiæ nostræ obscureare conatur fumo perturbationum, quæ non nisi a putoe infernali prodire possunt. Quales vero sint hi fulmi et proinde quam cavendi, nunc videntur.

I. Perturbatur a superbia et ambitione, teste Habaeuc, cap. II. *Quomodo vinum potentem decipit, sic erit vir superbus*, inquit. Ebrius inter plurima inepta quæ facit, omnia duplicita videt; se majorem etiam existimat quam sit; vires, ingenium, formam et scientiam suam aliaque similia miro modo extollit, licet nihil horum habeat: ita etiam, qui superbiæ spiritu tumet. Tali inflatus spiritu fuit olim Menecrates medicus Athenæum, lib. VII. et Hadrian. Junium, in adagio: *Nihil ad medicorum arrogantiæ. Etenim (ut scribit Junius) Jovis cognominationem stulte usurpabat, velut qui sua arte vitam mortalibus exemplo Jovis daret: quo nomine gloriabundus veluti cætum quendam consentientium deorum sibi adsciscerbat eos ipsos, quos comitiali morbo obnoxios suavitati restituerat, sacramenti lege obstrictos jussosque famulantum more subsequi, hunc Herculis habitu, illum Mercurii chlamyde caduceoque instructum, rursus alium Apollinis, alium Esculapii amictu: cum interim ipse Jupiter præ omnibus emineret, purpureo paludamento aureaque corona conspicuus manuque sceptrum tenens, pedibus crepidatus. Neque stetit intra hosce fines ycordia hominis, sed in majus etiam erupit, quando ad Philippum Macedonum regem per litteras in hunc modum scripsit: Menecrates Jupiter Philippo salutem. Tu quidem Macedonias rex es, ego vere medicinæ: tu sanos, cum vis, perdere potes, at ego ægrotos servare in vita, et bona valetudine præditos qui mihi obsecundaverint, ad extream usque senectutem incolunes et integras tueri, quapropter Macedones armis te stipant, me vero victoria, siquidem illis Jupiter, ego vitam largior.* At Philippus huic insanæ bellæ nihil aliud rescripsit, quam *Philippus Menecrati, id est, sanam mentem*, scilicet precatur. Simili insolentia inflatus Nestorius Constant. episc. in prima statim concione se Deum quemdam fecit, et his verbis Theodosium juniorum imperatorem compellavit: *Da mihi, o imperator, terram ab hæreticis liberam et puram et ego tibi cælum reddam. Tu mihi hæreticos extirpa, et ego tibi in Persis delendis adero,* Nicoph. lib. XIV. c. XIII. Qui et paulo vost in

hæresin lapsus eaque deprehensus est, ut idem cap. seq. narrat, quo eodem spiritu inflatus Lutherus et alii in hæreses lapsi sunt. Ita nimis vinum superbie potantem decipit et tandem de se præsumptum prosternit atque in cœnum projicit. Ex qua mentis perturbatione pervissima judicia prodeunt. Hinc enim superbi seipsos prædicant, laudant, jactant, interim vero ab aliis ridetur veluti stulti et vani: hinc etiam adulatione majores sibi videntur, ut litteræ per perspicilia lectæ. Denique, seipsos omnium odio exponunt, et in præsentissima vitæ et salutis divinæque vindictæ discrimina conjiciunt. Comodus imperator, præ tumore adeo insanit ut vestitum Herculis assumens pelle et claya proderit, sibique immolari ut Deo passus sit. Hac tamen sua stultitia risum aliis movit tametsi capitalem. Plures enim propterea occidunt, in quo magis adhuc ridiculus immanus fuit, Baron. anno. 192. Tandem ab athleta, cum quo exerci solebat in palestra, compressis fauibus stragulatus est, Baron. anno 194.

II. Perturbatur a cupiditate et avaritia. Testatur id Deus ipse, qui Exod. XXIII. præcepit: *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, (Hebr. videntes) et subvertunt verba justorum.* Nam primo, inclinant affectum; deinde, affectus inclinat et obnubilat rationem et judicium: inde ratio profert sententiam in favorem donatoris. Similiter S. Augustinus, lib. II. de serm. Domini in monte, cap. VII. ait: *Rerum temporalium cupiditate obtenebramur.* Et quid multis. Constat experientia quod aureis hastis felicissime pugnetur, et splendor auri excæcat rationem et judicium, sicut pelvis candens oculos ursi: inde promovenuntur idonei ad munia et dignitates, opprimuntur innocentes et ipsa veritas. Exemplum refert ex Dionys. Carthus. Apud Delirium in adagialibus sacr. p. II. narratur, quod quidam habens causam, appropinquante die proferenda sententia, misit judici bovem; quo cognito, adversarius misit conjugi judicis pingue vaccam. Coniux maritum suum traxit in partem suam. Ventum est ad judicium. Quo instantे cum judex inciperet loqui in favorem causæ ejus qui miserat vaccam, alter admirans clamavit: *Bos loquere, responditque judex: Bos loqui non potest, quia vacca non sinit.* Egregium scilicet acumen, triremibus dignum: unde ænigma: *Mutnegra cum murva faciunt rectissima curva (lege inversis litteris mutnegra argentum, murva aurum) veluti igitur a candente ferro aut carbone, manus excutienda sunt a munere, prout insinuat Isaias, cap. XXXIII. Qui excutit manus suas, inquit, ab omni munere.*

*etc. iste in excelsis habitabit.* Talis beatus Thomas Morus cancellarius Angliæ, judex æquissimus, munerum et opum contemptor: nam cum aliquando vidua, cui item adjudicarat, obtulisset ei poculum aureum; ille accepit quidem, sed vino replens ei præbet et reddit, ut habetur in ejus vita.

III. Ex lascivia et libidine: *Nam vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes*, ait Eccl. cap. XIX. Hinc veteres pinxere Venerem cæcam. Vedit hoc etiam Arist. cum scriberet: *Voluptates prætice sunt impedimento, atque eo magis quo magis quis oblectatur*, lib. III. eth. cap. XI. Testis hujus veritatis est Salomon, qui cum circa auspicia regni sui esset mortalium sapientissimus, III. Reg. IV. totus postea desipuit, cum in voluptates carnis corpus immersit et animum: *Cum jam esset senex*, inquit Scriptura, *depravatum est cor ejus per mulieres ut sequeretur deos alienos*, III. Reg. XI. In similem vesaniam lapsus est Henricus VIII. Angliæ rex eadem ex libidine, qua Catharinam legitimam conjugem repudians, Annam Bolenam, quam mire deperit, substituit. Ex quo factus est a se totus alius et sedi apostolicae rebellis, summum se pontificem profiteri in regno suo non erubuit. Denique, inepti et fodi amantium mores facile ostendunt, eos a mente et ratione longe excessisse. Fortissima enim est alia tentatio, quæ hominem ad se totum rapit: itaque fugienda, ne ex uno in plurima alia peccata velut cæcata präcipitemur. Quare oculi imprimis sedulo custodiendi ad exemplum Job, qui: *Pepigi fædus cum oculis meis*, inquit, *ut ne cogitarem quidem de virgine*, cap. XXXI. Nam ex cogitatione et desiderio queritur aspectus, ex hoc movetur concupiscentia et inde ingens procella perturbatum: de amato semper cogitatur, nihil aliud placet, errata defenduntur, etc. Sic senes illi lascivi, calumniantes Susannam, quorum uni Daniel ait: *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*, Dan. XIII. Horrendum exemplum crudelitatis ex lascivia narrat Lipsius, quod quia maxime ad rem facit, ad verbum ex illo describere volui.

« Erat Carolo audaci Burgundiæ duci vir nobilis in ferventi gratia, atque ei präfecturam oppidi in Zelandia dedit. Ipse ibi in otio amorem concipit in feminam scitam corpore, et moribus animi meliorem. Primo, aspectus, obambulatio, suspiria et quæ solent amantes, mox audacior et verba miser et affectum aperit, et solatium orat. Neque promissis abstinet, et omnia tentat, quæ sint expugnanda. Frustra. Munita undique castitas erat. Igitur desperatione ad facinus se vertit. Präfectus erat; et Carolus noster in bello:

maritum igitur amatæ feminæ præditionis insimulat, et statim in vincula missum carcere custodit, ut vel hoc metu minisque illam moveat, et obnoxiam sibi reddat, vel maritum ipsum amoveat, remotam amori. Currit igitur et mulier casta et viri amans, statim ad carcere, a carcere ad präfectum deprecatura aut liberatura si possit. Präfectus: Et tu, o mea, me rogas? Imperium, quod in me habes, ignoras? Affectum saltem mutuum reddo; et maritum ecce reddo. Detinemur enim eterque in meo, ego tuo carcere, aut vinculis: at quam facile utrumque solvis, quid renuis? Amans peto, et per meam vitam: präfectus peto et per mariti tui vitam. Utraque agitur, et perire si debeo, peream. Atqui miserere et mulierem te et conjugem ostende. Mulierem rubore ad ista et stupore, et tamen pro marito etiam timere. Constat magis animo quam corpore; et trepidat et palitet. Atque ille quia morti visa, et leviter vim adhibendam ratus (solierant) in lectum impellit, fruitur fructu utique mox acerbo. Nam mulier confusa et lacrymbunda abiens, pudoris magis quam peccati ægra, iram et vindictam coquit, quam etiam accedit barbarum präfecti factum. Nam ille potius, et cætera prolixa autumans, si æmulam sustulisset, maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, sed carcere ipso factum, atque ibi cadaver in arcum ligneam inclusum mox sepeliendum. Venit interea mulier sive ab ipso accita (ut quidam tradiderunt) sive sponte et super salute mariti anxia; sed venit et vel ex pacto, maritum recipere se sperat. Ille benigno affatus: Et maritum, inquit, quæris? Habebis, abi, (et digitum in carcere intendit) invenies et tolle. Nihil suspicata, abit, videt et percellitur et animo et corpore lapsa, super cadaver se abicit, ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque, atroci vultu et verbis: Et hercules, inquit, reddidisti maritum: gratia debetur, exsolvam. Retinere ac placere conatur, frustra; non tigris magis sævit foetu erepto. Statimque amicorum fidis advocatis rem denarrat ac consilium viamque ultioni exquirit. Censem omnes ad principem eundum. Accedit duobus amicis comitata, auditur, vix creditur, et indignatur et dolet präcepis hoc in suo solo, et e suis quemquam ausum. Sed et mulieri edicere minaciter, nisi vera et certa afferret, malum habituram. Jubet manere in aula, et in vicinum cubiculum secedere, dum präfectus vocat: nam forte et ipse in aula erat. Venit, introducitur et mulier: Hanc nosti? Fert, etiam nosti? Atroces sunt, et quas nolim esse veras. Quid-ais? Vacillat, perplexa loquitur, negat aliquid, et annuit, donec präcepis ex vultu

ipso et sermone cuipam suspicatus; ut tamen certior esset, remotis omnibus solum alloquitur. Quam fidem mihi debeas, et quam beneficiis meis gratiam non nescis. Per hanc et illam te adjuro, ut quid in hac se sit liquido et sine ambagine denares. Fatenti gratia aut aliqua severitas non deerit, nec abuenti tormenta. Ibi ille se ad genua abjecere, factum agnoscere, denique mulierem culpam omni liberare, se onerare, sed in gratia principis refugium et solatium ponere. Quam ut magis impetrat illicitam libidinem matrimonio purgaturam offert. Princeps quasi aures præbens, etiam mitior, mulierem revocari, quosdam e suis assistere jubet. Et heus tu, quoniam huc ventum, es mulier, placetne maritum hunc habere? Illa abnuit, et tamen voluntatem aut jussa principis timens, aspicit circumstantes, qui certatim innunt aut suggestur, accipiat conditione viri nobilis, divitis, apud dominum gratiosi. Victa dat manus: quas princeps jungi cum präfecto jubet, et solemnibus verbis matrimonio firmari, firmato iterum princeps: Tu nove marite, hoc jam nunc largire, ut superior sine liberis oebas, hæc conjux hæres omnium bonorum tuorum sit; libens concedit, testes audiunt, tabularius scribit. Et his jam peractis, Carolus ad feminam: Dic sodes, animo tuo jam factum satis? Satis, inquit mulier. At nondum meo, ille subjicit, et ablegata femina, jubet präfectum in illum ipsum carcerem duci in quo maritus cæsus, et pariter cæsum in arcum ligneam sive capulum deponi: facta sunt. Tum mulierem eo mittit, quæ inopinato casu iterum conterrita, duobus maritis eodem fere tempore amissis, mox in morbum incidit et fato obiit, hoc solum alteris nuptiis lucrata, ut liberos ex priori coniugio divites relinqueret nova hæreditate. »

IV. Ex invidia, hæc enim depravat oculum, ut quæ sunt in aliis bona, videre nequeat, mala tantum videat, sœpe comminiscatur, ac quæ sunt laude digna, vituperet et prava esse judicet: unde Ecclesiast. XIV. *Nequam est oculus lividi et avertens faciem suam*; scilicet a prosperitate et bonis proximi. Sic Judæi ejectionem dæmonis ab obpresso per Christum factam, Beelzebub adscripserunt: ob quam calumniam monet eos in hodierno evangelio, ne rationem suam adeo per invidiam excæcare et sub modio ponere velint. Eadem ex causa Saul Davidem fidelissimum licet servum suum, imaginabatur sibi tamquam regi insidiatorem, et non rectis oculis aspiciebat: quia nimis audierat ei dari decem millia, sibi vero mille tantum a mulieribus, I. Reg. XVII. Et hinc fit quod hæretici, licet Romæ et in aliis catholice locis plurima videant bona et laudabilia, ad

Dei cultum, ad pietatem, pauperum sublevationem, etc. pertinentia, ea non attendant, vel sinistre interpretentur, notent vero solum, quæ in paucis reprehendi possunt, et reprehensibilia ipsis videntur. Unde ista tantum loquuntur, illa vero tacent.

V. Ex Psal. VI. *Turbatus est a furore oculus meus*, ait David. Quem tamen furorem concepbat solum in propria peccata. Nam quid iræ perturbatione admittere non soleret, patet ex eo quod Sauli inimico, aliquando in spelunca deprehenso pepercit, dicens: *Cogitavi ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus*, quia scilicet minime turbatum habebat, I. Reg. XXIV. *Impedit ira animum u[er]i cernere verum*, ait poeta. Et sicut videns per vitrum rubrum, omnia rubra videt, ita iracundus omnia, quæ offendit, imaginatur sibi hostilia. Per hanc adeo perturbatus fuit Saul, ut dum vult filio Jonathæ regnum stabilire contra Davidem, interim nitatur eum lancea transfigere, I. Reg. XX. Per hanc perturbatus dux Bavariæ Ludovicus Severus, et ex falsa suspicione in errorem inductus, quasi conjux ejus Maria Brabantina alterum amaret; ut repente Donawerdam, (ubi illa tunc habitat) advolavit, et correptam frustra se excusantem, plecti capite jusserrit. Mox tamen ubi deserviit, errorem suum agnosces, et pudore simul confusus sequenti statim nocte conjugis manibus adeo exagitatus fuit, ut repente totus incanuerit ea nocte, quasi jam septuagenarius esset, cum viginti septem annos solummodo haberet, Matth. Rad. II. p. Bav. s. Ita nimur in furore talia committuntur, quorum postea pudet ac pœnitit.

VI. Ebrietate, quod verius est, quam ut ostendi debeat. Et hinc ebrii ad quævis vitia facile pertrahuntur. Refert Plin. lib. VIII. cap. XVIII. sub Claudio imperatore, pastorem Getulum injecisse sagum sum leoni in se irruenti, inde feram, velatis nimis oculis, torpuisse ut vinciri posset, adeo vim omnem leoni in oculis esse. Ad eumdem modum per ebrietatem ita hæbetatur ratios acies, ut non difficile vinci a dæmoni possit homo, et quibusvis peccatorum vinculis irretiri. Hæc justum Loth, quem Sodoma non vicit, in duplichen incestum abduxit: Alexandro Magno mentem ita abstulit ut charissimum Clytam in mensa occiderit quin et seipsum Herculanum scypho: hinc forte Bacchus Liber dictus, id est, solutus, tamquam taurus furiosus et indomitus: unde Alphonsus rex Aragonum rogatus cur adeo ebrietatem detestaretur, respondit: *Quia seio furem et libidinem ejus filias esse. Seio quantum gloriae Alexandri Magni obsuerit ebrietas*. Denique, ut verbo dicam, ebrietas nihil recte facit,